VIRO SUMME REVERENDO

IOANNI FRIDERICO BRUCH

THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI P. O. CETT. CETT.

A. D. IX KAL. MART. MDCCCLXXI

QUO ANTE QUINQUAGINTA ANNOS

DOCENDI MUNUS PUBLICUM SUSCEPIT

GRATULATUR

AEMILIUS HEITZ

IN GYMN. ARGENT. PROFESS. ET IN SEMIN. PROTEST A. C. PROF. EXTRAORD.

INSUNT

ADDITAMENTA AD FRAGMENTA HISTORICUM GRAECORUM

ARGENTORATI

TYPIS I. H. ED. HEITZII.

1871.

PRIMARIO THEOLOGO ET PHILOSOPHO

HUMANITATE DOCTRINA ANNIS MAXIMO

IOANNI FRIDERICO BRUCH

S. P.

Miraberis fortasse et iure mireris licet, vir venerabilis, quid mihi, homini profanis literis addicto, causæ esse potuerit, ut, hoc sancto festoque die, te salutare auderem, tibi, more in hac nostra quidem urbe minus usitato, munus academicum ante hæc decem lustra feliciter susceptum gratulaturus. Excusatio vero audaciæ talis est qualem te facile probaturum confido. Quam enim arcta inter se necessitudine sacrarum et antiquarum literarum studia contineantur, quis te melius exploratum et perspectum haberet, qui, quæ tua est humanitas, pro virili tua parte, semper illud effecisti, ut vinculum quo utræque, iam inde a sacrorum reformatione coniunctæ sunt, intactum illæsumque remaneret? Quantum igitur in me erat, et non plus esse molestissime fero, committere nolui, ut quæ tua sunt in hac etiam re rara et praeclara merita oblivione silentiove præterirentur. De ceteris autem tuis laudibus eo lubentius nunc taceo, quo plures hodie et me longe præstantiores earum exsistent præcones.

Iam quæ sequuntur ad te scripta, δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε, accipe, quæso, indulgenti animo atque indignari noli, si tam levidense munusculum parum tuo nomine dignum videbitur. Scis enim ipse quam iniquissima hæc ultima tempora literarum studiis fuerint, non ignoras nobis undique ingruenti armorum strepitu circumdatis horrendæque stragis, heu, immeritis spectatoribus, vix satis otii, nedum necessariam ad illa animi alacritatem superfuisse. Quid, quod et alia eaque gravissima iactura nos non immunes esse voluit temporum infelicitas. Qui enim egregiis literariis subsidiis nuper instructissimi florebamus, nunc ad turpem pæne egestatem redacti lugemus. Verumenimvero hoc die, quem faustum et felicem tibi tuisque omnes optant, favendum est linguis, præsertim cum iam melior quædam spes nobis affulserit, brevi fortasse experturis quam vere, illud a poeta dictum ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται in nos quoque cadat.

Tu vero, vir venerabilis, qui non Nestoris solum annos iam ingressus es, sed cui eumdem animi vigorem, idem acumen ingenii, eamdem oris facundiam, idem denique corporis robur, quibus ille senex florebat, servare contigit, diu nobis remaneas huicque nostræ urbi, quæ te suum iamdudum agnovit, decus esse pergas, mihi autem, quomodo adhuc, posthac fave.

ADDITAMENTA AD HISTORICORUM GRAECORUM FRAGMENTA.

Amplissima simul et utilissima, omnium iudicio, collectio est quæ fragmenta historicorum græcorum complectitur a Car. et Theod. Muelleris in Bibliotheca scriptorum græcorum Didotiana quattuor voluminibus edita, quibus quominus quintum accesserit Parisiorum oppugnatio hucusque prohibuit. Scribendi materiam cum quærerem, nec tamen aliam quam quæ quasi tumultarie his in turbidis temporibus tractari posset cuperem, operiæ pretium me facturum putavi propositis nonnullis quæ in hac collectione desunt, sive e nuper primum editis scriptoribus, sive etiam ex aliis petita.

Cum antiquissimæ res Græcorum, inextricabili fere nexu, cum eorum fabulis cohærerent, facile fieri potuit, ut vulgo inter historiarum scriptores numerarentur, qui, maiore fortasse iure, sive theologis sive historiarum scriptoribus adcensendi erant. Talis est Acusilaus Argivus, cuius Genealogiarum opus, ad unum quotquot ex eo supersunt fragmenta hesiodeæ Theogoniæ simillimum fuisse demonstrarent, etiamsi hunc consensum non disertis verbis testatus esset Clemens Alexandrinus Stromat. VI, p. 629 ª: τὰ Ἡσιόδου μετήλλαξαν εἰς πεζὸν λόγον καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν Εὔμηλός τε καὶ Ἀκουσίλαος οἱ ἱστοριογράφοι. De eorum sane auctoritate quæ a recentioribus quibusdam scriptoribus Acusilao tribuuntur, satis magnam iniciunt dubitationem Suidæ, sive potius doctioris cuiusdam apud eum verba, haud semel adfirmantis (v. Ἑκαταῖος Μιλήσιος, Ἱστορῆσαι, Συγγράφω), adulterinum opus Acusilai circumferri. Quod etsi revera ita se habuisse minime negare velim, in hoc enim fraudis genere nihil inausum intentatumve reliquit Græcorum levitas, vix tamen crediderim, præter unum Platonem, omnes qui postea hunc scriptorem laudaverunt, a falsario quodam alexandrino se decipi passos esse. Iam primum de Apollodoro neminem facile hoc concessurum esse arbitror. Quod

vero ad Eudemum Rhodium attinet, nobilissimum Aristotelis discipulum, talis suspicio ne oriri quidem poterit. Ex huius autem libris cum alia fortasse tum certe illa fluxerunt quæ ex Acusilao retulit Damascius. Fugit hoc C. Muelleri diligentiam, qui Damascii verba, cum ea e Wolfii Anecdotis græcis t. III, p. 257, tantum non integra exscripsisset, optimo sane iure cum iis coniunxit quæ de Acusilao dicta sunt in Platonis Convivio p. 178[b] (cf. Acusilai fr. 1 in Histor. gr. fragm. t. I, p. 100). Multa autem plura sunt quæ leguntur in Damascii libro de Principiis, qualem edidit Koppius. Postquam enim dixit l. l. p. 382: ἐκ δὲ τούτων (scilicet ex Erebo et Nocte) φησὶ μιχθέντων Αἰθέρα γενέσθαι καὶ Ἔρωτα καὶ Μῆτιν, τὰς τρεῖς ταύτας νοητὰς ὑποστάσεις, statim hæc subiungit: τὴν μὲν ἀκρὰν Αἰθέρα ποιῶν, τὴν δὲ μέσην Ἔρωτα κατὰ τὴν φυσικὴν μεσότητα τοῦ ἔρωτος, τὴν δὲ τρίτην Μῆτιν, κατ' αὐτὸν ἤδη τὸν πολυτίμητον νοῦν. παράγει δὲ ἐπὶ τούτοις ἐκ τῶν αὐτῶν καὶ ἄλλων θεῶν πολὺν ἀριθμὸν κατὰ τὴν Εὐδήμου ἱστορίαν. Ceterum, ut iam in præcedentibus l. l. p. 382, ita postea p. 384, Eudemum nominat Damascius, quem secutus esset in enumerandis vetustissimorum de deorum origine opinionibus (cf. Eudemi Rhodii peripatetici fragmenta ed. Spengel, fr. CXVII). Quod si, ut arbitror, verum assecutus est Vsenerus, cum in Analectis theophrasteis p. 17 coniceret, sex libros τῶν περὶ τὸ θεῖον ἱστορίας, in tertia parte tabulæ scriptorum theophrasteorum positos, potius ad Eudemum pertinuisse, iam manifestum fit, undenam cum his Damascii excerptis, illa quoque fluxerint quæ ex Eudemo habet Diogenes Laertius in procemio § 9 (cf. fr. CXVIII Spengel). Nec minus ex eodem fortasse fonte derivata erant, quæcunque nova Acusilai fragmenta accedunt e Philodemi libro de pietate, qui cum primum in Herculanensium voluminum quæ supersunt collectionis alterius tomo secundo publicatus esset, nuper salutarem curam Gompertzii expertus est. Quorum fragmentorum, quod apud hunc legitur p. 61, 13:

Ἀκουσί(λ)αος
δ' ἐκ) Χάους πρώτου
τἆλ)λα . . .

scilicet γενέσθαι φησίν, communem illam Hesiodi (cf. Theogon. v. 116 ss.) atque Acusilai opinionem spectat, quam post Platonem et Eudemum, tetigit etiam qui argumentum Theocriti Idyll. XIII conscripsit. In ceteris vero tria sunt quæ pariter Acusilai et Hesiodi consensum ostendunt. Ita quæ de Cerberi ortu ex Acusilao retulit Philodemus l. l. p. 14, 12:

Ἡσίοδος
... καὶ Ἀ]κουσίλαος
ἐξ Ἐχίδν]ης καὶ Τυφῶ-
νος τὸν κύ]να Κέρβε-
ρον]...

eadem sunt ac quæ in Hesiodi Theogonia v. 309 ss. narrantur. Nec sola tamen Theogonia usus erat Acusilaus, sed et aliis carminibus mythologicis Hesiodi. Quod cum iam testaretur Schol. Apollon. Rhod. III, 1123 (cf. Acusil. fr. 8), duobus novis indiciis apud Philodemum comprobatur. In verbis enim l. l. p. 17, 5:

τὸν Ἀσκλ[ηπιὸν δ' ὑ-
πὸ Διὸς κε[ραυνω-
θῆναι γέγρ[αφεν Ἡ-
σίοδος κα[ὶ Πίνδ-
αρος καὶ Φε[ρεκύδης
ὁ Ἀθηναῖος [καὶ Πανύ-
ασις καὶ Ἄ[νδρων
καὶ Ἀκουσ[ίλαος καὶ
Εὐριπίδ[ης...

Hesiodi locus qui respicitur, idem est e quo versus aliquot laudavit Athenagoras Legat. p. 134, e Catalogis sive Eœis, ut videtur, desumptos (fr. XLIX Gœttling). Euripides rem ipso Alcestidis fabulæ initio tetigerat. Ceterorum nomina, excepto Pherecydis, cui novum hoc fragmentum addendum erit, incerta sunt, licet satis probabiliter a Gompertzio revocata videantur.

Narrationem de Aesculapio sine dubio apud Acusilaum statim insecuta est illa de Apollinis apud Admetum servitute, cuius meminit Philodemus l. l. p. 34, 1 :

> Ἄν)δρων δ'ἐ(ν τοῖς
> Συγγενικοῖς Ἀ(δμή-
> τῳ λέγει τὸν Ἀ(πόλ-
> λω θητεῦσαι Δ(ιὸς
> ἐπιτάξαντος· (Ἡ-
> σίοδος δὲ καὶ Ἀκο(υ-
> σ)ίλαος μέλλειν (μὲν
> εἰς τὸν Τάρταρον (ὑ-
> πὸ τοῦ Διὸς ἐ(μβλη-
> θῆναι, τῆς Λ(ητοῦς δ'
> ἱκετε[ο]ύσασης ἀν-
> δρὶ θητ(εῦσαι

Similiter utramque apud Hesiodum coniunctam fuisse colligi potest e Schol. Eurip. Alcest. v. 1 (cf. Hesiodi fr. CIX Gœttl.). E Philodemi vero verbis præter Acusilai, tum novum quoque Andronis, quem C. Muellerus Halicarnassensem esse voluit, fragmentum lucrabimur. Nova item est tituli forma Συγγενικῶν, pro qua Συγγενειῶν præbent cum Harpocrationis tum Schol. Apollonii Rhodii libri (cf. Hist. gr. fr. t. II, p. 351 s.).

Quod de Iride ex Acusilao relatum est l. l. p. 43, 18:

> καὶ τὴν Ἶριν, ἔνιοι δὲ
> τα(ύτ)ην καὶ τῆς Ἥ-
> ρας, Ἀκουσίλαος δὲ
> καὶ θεῶν πάντων.

scilicet ἄγγελόν φησιν εἶναι, nullibi apud Hesiodum memoratur, confirmat vero Homerus, Il. π, 144 et Hymnus in Apoll. Del. v. 102. De Harpyis autem nescio an alius quis cum Acusilao Epimenideve consen-

serit, easdem illas ac Hesperidas iudicantibus, teste Philodemo, statim in sequentibus l. 24 :

καὶ τὰς Ἁρπυίας τὰ
μῆ(λα φυ)λάττειν
Ἀκ(ουσίλ)αος, Ἐπιμεν-
ίδης δὲ καὶ τοῦτο
καὶ τὰς αὐτὰς εἶναι
ταῖς Ἑσπερίσιν;

quibus verbis illud adiecisse sufficiat me cum ignarussimis scire, unde sua ex Acusilao de Harpyarum origine habeat Natalis Comes Mythol. p. 478 ed. venet. MDLXXXI : *Acusilaus Neptuni ac Terræ filias fuisse credidit.* Cum Epimenidis nomine iterum Acusilai coniunctum apparet apud Philodemum p. 46, col. 61[b]. Locus autem lacunosior est, quam ut, præter hæc ipsa nomina, aliquid certi ex eo expiscari queamus. Nec multo utilior est qui exstat l. l. p. 15, 9 :

καὶ Ἀκουσίλ(αος Τι-
θωνὸν μὲν....

ubi saltem causam discimus, propter quam Acusilai mentionem fecerat Philodemus.

Ab Acusilao facilis est transitio ad Hellanicum Lesbium, quippe qui non minus in enarrandis rebus fabulosis potissimum versatus sit. Huius fragmentis addendum erit quod legitur in Epimerismis homericis a Cramero in Anecdotis oxoniensibus editis t. I, p. 344 : Ἑλλάνικος δὲ καὶ Πελίαν ὠνόμαζεν αὐτὸν (scilicet τὸν ἱπποφορβόν), ἐπεὶ ἐπελιώθη αὐτῷ ἡ ὄψις λακτισθέντι ὑπὸ τοῦ ἵππου, quam eamdem nominis etymologiam referunt Apollodorus I, 9, 8 et Eustathius ad Odysseam p. 1681, 54. Rem sine dubio in Θετταλικοῖς narraverat Hellanicus (Hist. græc. fragm. t. I, p. 49).

Versum oraculi :

πολλοὶ θριόβολοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες,

de quo egit Lobeckius in Aglaophamo p. 814, noveramus e Stephano Byzantio v. Θρία et Zenobio V, 75. Eorum fontem fuisse PHILOCHORUM, ut videtur, in libris περὶ Μαντείας sive περὶ Μαντικῆς inscriptis (Hist. græc. fragm. t. I, p. 415 s.), indicat eius nomen oraculo appositum (Φιλόχωρος ut sæpe pro Φιλόχορος), in altera proverbiorum collectione quam nuper edidit E. Millerus, *Mélanges de littérature grecque*, p. 366.

In eadem vero hac collectione, paulo infra, legitur excerptum e SOSIBII LACONIS opere, simul addito titulo, cuius ope fortasse persanari poterunt quæ apud Suidam v. Σωσίβιος fœde corrupta leguntur. Verba autem hæc sunt l. l. p. 367 : Ἄμμες ποθ' (scribendum est ποκ') ἦμες. Λακωνική ἐστιν αὕτη. μέμνηται δὲ αὐτῆς Σωσίβιος ἐν τῷ περὶ Ἐθῶν, καί φησιν ὅτι οἱ πρεσβύτεροι οἱ Λακεδαιμόνιοι χορεύοντες τοῦτο ἐπέλεγον· ἄμες ποθ' (immo ποκ') ἦμες. Moris huius apud Spartanos sæpius mentionem fecit Plutarchus, Sosibium, ut videtur, secutus, cui igitur probabiliter debentur versus integri cum ab ipso Plutarcho tum ab aliis quoque laudati, quorum testimonia collecta sunt in Bergkii Poetis lyricis p. 1203 ed. tertiæ.

Ut Sosibio, ita etiam DIOSCORIDE, alio rerum Laconicarum auctore usus erat Plutarchus. Ex huius enim libris de Laconica republica desumpta sunt quæ narrat in vita Lycurgi c. 11 et in vita Agesilai c. 35 (cf. Hist. græc. fragm. t. II, p. 192). Eumdem scriptorem semel nominat Athenæus IV p. 140[b]. His tertium iam accedere iubebimus Olympiodorum, in cuius commentario ad Platonis Gorgiam p. 176, hæc sunt verba p. 522 Jahn (in diario inscripto *Neue Jahrbücher für Philologie*, XIV[ter] *Supplementb.*) : ὅθεν τινὲς μὲν ἱστοροῦσιν, ὅτι οἱ πλούσιοι ἀχθεσθέντες ἐφόνευσαν αὐτόν (scilicet τὸν Λυκοῦργον). Διοσκουρίδης δὲ ὁ ἱστορικὸς λέγει ὅτι οὔ· ἀλλ' ἐπῆλθον αὐτῷ καὶ Κλέανδρός τις ἐξετύφλωσεν αὐτὸν καὶ ἔφριξαν πάντες οἱ ἄλλοι ἀνιαθέντες. Eadem plane narratio reperitur in Plutarchi vita Lycurgi c. 11, nisi quod pro Clearcho Alcandrum

quemdam nominat, quod nomen igitur Olympiodoro quoque restituendum erit.

In priori proverbiorum collectione a Millero edita, hæc leguntur l. l. p. 361 : Αἰγιέες οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι. Μνασέας ὁ Πατρεὺς ἐξηγούμενος τοῦ ἔπους τούτου (fortasse τοῦτον) τὸν νοῦν λέγει, ὅτι οἱ Αἰγιεῖς ἐν Ἀχαίᾳ νικήσαντες Αἰτωλούς, τὴν Πυθίαν ἐπηρώτων, τίνες εἶεν κρείττους τῶν Ἑλλήνων, ἡ δὲ Πυθία εἶπεν

ὑμεῖς δὲ Αἰγιέες οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι,

ὅτι γὰρ τούτοις ἐχρήσθη καὶ οὐ Μεγαρεῦσι καὶ Ἴων μέμνηται ἐν τῷ εἰς Σκυθιάδην ἐγκωμίῳ. Plura de hoc oraculo, cuius septem versus afferunt, Suidas et Photius præbent. Quod apud illos quoque adiectum legitur Ionis nomen, frustra in suspicionem vocavit C. Muellerus (Hist. græc. fr. t. II p. 51), cum, satis invalida Tzetzæ auctoritate fretus, id e scripturæ compendio ΜΝΑΣ pro Mnaseæ ortum esse putaret. Titulus qui hic laudatur ἐγκωμίου εἰς Σκυθιάδην alibi non occurrit, nec hominem huius nominis novimus. Non dubitabo igitur pro Σκυθιάδην, Σκυθιάδα legere, eorum scilicet memor, quæ e Nicanore transcripsit Stephanus Byzantius v. Δῆλος... κεκλῆσθαι δὲ αὐτὴν καὶ Σκυθιάδα Νικάνωρ φησιν. Nihil enim mirum habet Ionem, simili modo quo Athenas et Chium laudibus extulit, etiam Delum insulam sive carmine sive prosa oratione celebrasse.

Proverbium τὸν αὐλήτην αὐλεῖν, quod satis apte fortasse, cum tritissimo illo: «*ne sutor ultra crepidam*» conferas, absque ulla indicatione legitur in Appendice Proverbiorum IV, 94. Eo usum esse Philemonem poetam comicum testatur auctor collectionis alterius proverbiorum apud Millerum l. l. p. 368, qui simul de eius origine nova quædam apposuit e Dicaearcho, quæ, sine dubio, ad eius Βίον Ἑλλάδος referenda sunt: Δικαίαρχος δέ φησιν ὅτι αὐλήτης τις ἐγένετο μὴ πάνυ τοῖς αὐλητικοῖς ἐμμένων (ἐμμαίνων coni. Miller.) λόγοις, ἀλλὰ παρακινῶν· ὅθεν

εἰς παροιμίαν ἦλθεν ὁ λόγος. In verbis parœmiographi frustra ἦλθεν sive περιέστη desiderabat Meinekius, qui hunc locum tractavit in Herma t. III, p. 456, verbum enim exstat apud Millerum. Contra probandum est quod idem Meinekius in Dicæarchi verbis pro λόγοις, νόμοις reponi iubet. Etenim λόγοι περὶ αὐλητικῆς vix αὐλητικοὶ dici possent. Quod autem a Millero tentatum est ἐμμένων, id apte tutabitur Plato Republ. VII, p. 540 ª ubi legitur : βασανιστέον εἰ ἐμμενοῦσιν ἑλκόμενοι παντάχοσε ἤ τι καὶ παρακινήσουσι. Ceterum de ipso proverbio pluribus dictum est a Meinekio in Analectis ad Athenæum p. 150.

Dicæarchum peripateticum insequatur HERMIPPUS SMYRNAEUS cui idem cognomen peripatetico additum est. In quem cum olim satis vehementer invectus esset Meinersius in libro *Geschichte der Wissenschaften* inscripto, t. I, p. 228, non minus fortasse paulo iniquiorem se nuper præbuit Schaarschmidtius in libro suo *die angebliche Schriftstellerei des Philalaos*, p. 76. Qui enim iure affirmare liceat, Hermippum absurdissima quæque contulisse, vel his etiam absurdiora ipsum excogitasse, ut ceteris fidem inde conciliaret, equidem minime me videre fateor. Crimen in illos potius conferre decet, recentioris ætatis scriptores, qui omissis utilioribus in Hermippi libris, optimæ frugis plenissimis, meras nugas excerpere maluerunt, quas ille, in hoc videlicet Aristotelis ceterorumque antiquiorum peripateticorum exemplum secutus, commemorare non adspernatus erat, etsi probatas ab illo fuisse, nulla ratione demonstrari potest. Quod si, præsertim Diogenes Laertius, maiore diligentia prudentiave Hermippi libris usus esset, iam multa eorum quæ ad antiquæ Græcorum philosophiæ notitiam pertinent, hodie non tam spissis tenebris obtegerentur. Hoc cum multa alia indicia probant, tum præsertim scholia quædam breviora in codicibus nonnullis Theophrasti libellis adscripta, e quibus facile perspicitur Hermippum diligentissimum fuisse in afferendis titulis librorum a singulis philosophis conscriptorum. Scholia hæc addenda sunt Hermippi fragmentis apud C. Muellerum collectis (Hist.

gr. fr. t. III, p. 35 ss.). Quorum quod legitur initio libri septimi de Plantis hoc est: Θεοφράστου περὶ φυτῶν ἱστορίας τὸ η. Ἕρμιππος δὲ περὶ φρυγανικῶν καὶ ποιωδῶν. Ἀνδρόνικος δὲ περὶ φυτῶν ἱστορίας. Ex eodem sine dubio petita sunt fonte quæ leguntur in fine fragmenti τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ Theophrasti p. 323 Brandis: τοῦτο τὸ βιβλίον Ἀνδρόνικος μὲν καὶ Ἕρμιππος ἀγνοοῦσιν· οὐδὲ γὰρ μνείαν αὐτοῦ ὅλως πεποίηνται ἐν τῇ ἀναγραφῇ τῶν Θεοφράστου βιβλίων.

Sin minus ipsius Hermippi verba, attamen titulum quem peculiari parti operis sui de philosophorum vitis præfixerat, in indice herculanensi academicorum philosophorum, nuper eruit Buechelerus, cuius felici acumine cum in hoc ipso loco tum in multis aliis res ad summam probabilitatem adducta videri potest. Ita igitur ille locum de quo agitur supplevit col. XI, p. 8:

(ἐπει-
δήπερ οὐ(τὴν) πολιτείαν ἐσ-
τὶ παραθετέον ἀκα(ίρ)ως
οἷο)ν Ἕρμιππος ἐν τ(οῖς βί-
οις τῶν) ἀπὸ φιλοσοφία(ς εἰς
τυραννίδ)ας καὶ δυναστε(ί-
ας μεθεσ)τηκότων.

Cum tali hoc titulo satis apte congruunt quæ narrat ex Hermippo scriptor vitæ Euripidis in Βιογράφοις Westermanni p. 138, Dionysium seniorem Syracusanorum tyrannum, post obitum Euripidis, ab eius heredibus talento psalterium poetæ et pugillares stilumque emisse, cum qua narratione similis apud Lucianum adversus indoctos c. 15 de Aeschyli pugillaribus ab eodem Dionysio emptis conferri potest. Ut enim nimis ambitiose dicta sint fortasse, quæ Iamblichus in vita Pythag. c. 31 § 189 tradit, Dionysium nihil inexpertum reliquisse, ut Pythagoreorum amicitiam sibi conciliaret, tam sæpe eius nomen sive in veris sive in fictis narrationibus cum Aristippi Aeschinis Platonis aliorumque philosophorum coniunctum comparet, ut facile intelligatur

cur ab Hermippo silentio non prætermissum sit. Quare non amplius, ut a C. Muellero factum est (Hist. gr. fr. t. III p. 52, fr. 73 [b]), dubitandum erit, cui Hermippo ille locus assignari debeat. Multo autem minus etiam probo quod idem, Prelleri rationibus seductus, titulum περὶ Μάγων ab hoc nostro Hermippo abiudicat (l. l. p. 53), quippe quin potius opus suum a Magis inceperit, in hoc quoque peripateticorum consuetudinem retinens.

Simili modo quo Hermippus, ita Polemon quoque Iliensis singulis libris totius operis sui peculiares titulos indidisse censendus est. Etenim quæ eius laudantur κτισεῖς variarum urbium cum apud Suidam tum apud Scholiastem Apollonii Rhodii IV, 324, quin ad unum idemque opus pertinuerint κοσμικὴν περιήγησιν inscriptum, licet eam a ceteris Polemonis scriptis distinxisse videatur Suidas, nemo facile dubitabit post ea quæ de hac re disputavit Prellerus. Ad hanc igitur referenda sunt quæ e codice florentino Etymologici magni exscripsit E. Millerus l. l. p. 213: Μελιταῖα κυνίδια· λέγονται οἱ (λέγεται ὅτι coni. Miller.) πλησίον Ἰταλίας νῆσός ἐστι Μελίτη, ἐξ ἧς εἰσι Μελιταῖα κυνίδια. Πολέμων δὲ ἔκτισε (δ' ἐν κτίσεσι coni. Miller.) Σικελίαν Μελίτης (Σικελίας Μελίτην coni. Miller.) φησιν εἶναι. Si vera est Milleri coniectura pro Σικελίαν Μελίτης, Σικελίας Μελίτην scribentis, nonnulla in fine excidisse censenda sunt, Meliten enim Siciliæ nullam novimus. Totus vero locus aliter fortasse sanari debet, præsertim cum ne apud Scholiastem Apollonii Rhodii IV, 324 quidem, extra omnem dubitationem positum videatur, quod C. Muellerus dedit (Hist. græc. fragm. t. III, p. 126) ἐν κτίσεσιν (ita cod. Paris. ἐν κτίσει vulgo) Ἰταλικῶν καὶ Σικελικῶν, ubi multum arridet coniectura quam, collatis iis quæ apud Macrobium leguntur Saturnal. V, 19 (cf. Polem. fr. 83), proposuit Bernhardyus ad Suidam v. Πολέμων, ἐν κτίσει Παλικῶν τῶν Σικελικῶν, etsi minus bene perspiciatur quomodo cum tali titulo res de qua narratum est apud Scholiastem Apollonii componi possit. Vide igitur ne illud ἔκτισε, quod in ἐν κτίσεσι mutat Millerus, e numeri indicatione ortum sit, nempe stadiorum, quibus, secundum Pole-

monem, Melite a Sicilia distat, ita ut in fine pro εἶναι, ἀπεῖναι legi debeat. Conferri certe poterit alter locus in Etymol. magn. p. 751, 27, ubi, e Polemone adicitur quot stadia inter Telmissenses in Caria habitantes et urbem Halicarnassum interfuerint.

Præter Polemonem Mnaseas quoque Patreus sive Periegesin sive Periplum conscripserat (Hist. gr. fragm. t. III, p. 149). Ex hoc opere desumptam esse proverbii explicationem, cuius meminit cum lexicographis Diogenianus V, 6, apparet e collectione altera proverbiorum apud Millerum. Legitur enim l. l. p. 369 : ἡ Περγία Ἄρτεμις· αὕτη τάττεται κατὰ τῶν ἀγύρτων καὶ πλανήτων. Παρόσον καὶ ἡ θεὸς αὕτη τις νομίζεται ἀγείρειν ἀεὶ και πλανᾶσθαι, ὡς ἱστορεῖ Μνασέας. Pro Περγία legendum est Περγαία collato Strabone XIV p. 667, Stephano Byzantio v. Πέργη (ubi male Περγασία), Artemidoro II, 35, a Perga Pamphyliæ urbe.

Testibus quibus usus est C. Muellerus nonnumquam unus alterve adici potest. Ita quod e Dionysio Chalcidensi apud Ioannem Lydum de mensibus p. 78 Rœther. legitur (Hist. gr. fr. t. IV, p. 395), de Euripo septies singulis diebus reciprocante, habet etiam Schol. Aesch. c. Ctesiph. § 90, p. 131 Schultze. Duobus Tzetzæ locis in quibus affertur Dionysius Rhodius (Hist. gr. fr. t. II, p. 10) addatur tertius in eiusdem Tzetzæ Exeg. in Iliad p. 160, 1. Singulare et pæne incredibile genus mortis, quo se interemerit nobilissima femina, Porcia Bruti coniux, e Nicolao Damasceno et Valerio Maximo (VI, 6) memorat Plutarchus in vita Bruti c. 53. Locum retulit inter Nicolai Damasceni fragmenta C. Muellerus (Hist. gr. fr. t. III, p. 419). E Plutarcho sua se hausisse declarat Ioannes Tzetzes comm. in Iliaca p. 16 Schirach, apud quem illud sane mirum est, quod pro Valerio Maximo Μάξιμον τὸν Αἰγινήτην nominat scriptorem ceteroquin ignotum, nisi fortasse Μάξιμον τὸν Αἰγιέα, cuius bis meminit Philostratus vita Apollonii Tyanei I, 3 et 12 significare voluerit.

Finem autem iam imponam huic meo qualicunque spicilegio, plura fortasse alia occasione daturus, si prius addidero locum scriptoris, qui etsi Plutarchi æqualis fuit, vix tamen eius vitis uti potuit. Arrianus Nicomedensis est e cuius Parthicis (Histor. græc. fr. t. III, p. 586), quod sequitur excerptum exstat apud Simplicium in Aristot. categor. λ′ f. 6 ed. venet. p. 70ᵃ 9 Brandis: καὶ ὑπὸ φαρμάκων δὲ ἐπιλαθέσθαι συνέβη πάντων, ὡς τοῖς μετὰ Ἀντωνίνου τοῦ Ῥωμαίων στρατηγοῦ Πάρθοις πολεμοῦσι συνέβη ἐπὶ βοτάνης τινὸς ἐδωδῇ, ὡς Ἀριανὸς (immo Ἀρριανός) ἱστόρησεν ἐν τοῖς Παρθικοῖς, πλὴν ὅτι ἐκεῖνοι χρόνῳ πάλιν ἀπεκατέστησαν ἐς τὸ κατὰ φύσιν, ὅσοι περιεσώθησαν οἰνελαίου πόματος εὐπορήσαντες· τοῦτο γὰρ ἐκ περιπτώσεως εὑρέθη τοῦ πάθους βοήθημα. Pro Ἀντωνίνου quin hic scribendum sit Ἀντωνίου, nemo est quin statim videat, etiamsi non eadem narraret Plutarchus in vita Antonii c. 45, unde in Pseudoappiani Parthica p. 92 Schweighæus. illata sunt. Nescio an ex Arriano in verbis Plutarchi ἐπεὶ τὸ μόνον ἀντιπαθές, οἶνος, ἐξέλιπε, scribendum sit οἰνέλαιον. Huius ut antidoti meminisse videtur Nicander Alexipharm. v. 178, nomen vero ipsum reperitur apud Galenum de composit. medicam. per genera I, 8, t. XIII p. 404 ed. Kuehn. et apud Pseudogalenum de remed. parab. l. III, t. XIV p. 507.

